



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Verna - A Dominica Septuagesimæ, ad Dominicam SS. Trinitatis

Haineuve, Julien

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Nonnullæ aliæ designantur consimiles veritates.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44214

universam trahi urbem, capite pedibusque nudum, facem præferre, qua cuncto spectante populo confitear, nimis esse injuriosam hanc nostram licentiam, qua sub *Titulo misericordiae*, libentius nobis indulgemus. Agnosco capitale crimen! agnosco supremæ majestatis læsæ injuriam! agnosco perduellionis humani nefas. Abjuro facinus, detestor audaciam, & contra quosvis impugnantes, profiteor hodie tali cultu semper nobis esse observandam Dei Bonitatem ac Misericordiam, ut sit duplicare peccatum, sub hoc peccare Titulo, & quo magis nobis pater Divina Bonitas, tanto minus peccate liceat, tanto magis peccantes oporteat arguere, & ne graviores pœnas luan, tantò Deum magis precari & placare.

Huic affinis est illa Veritas, quæ habetur Feria sexta Parasceves:

Gravius est Christo jam à peccato pati,

—————

HAC HEBDOMADÆ Veritates eruentur ex illa Oratione, quam Christus Dominus ad Patrem habuit, & quæ refertur Ioannis decimo septimo. Cumque illa Oratio variis abundet affectibus, sex præcipui seliguntur, qui frequentius occurrunt exercendi in meditatione Passionis Domini, sicque ad eos in sequentibus mysteriis facilius efformandos, cum gratia disponemur.

FERIA SECUNDA DE ZELO CLARIFICANDI Christi Domini.

AD HÆC PRIMA EIUS VERBA.

Pater, venis hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te. Ioan 17.

VERITAS PRACTICA.

Scientia sine Zelo, arma sine milite: Zelus sine scientia, miles sine armis.

SENSVS est, quod sicut arma sine milite, aut miles sine armis, nihil in bello efficiunt: ita scientia sine Zelo, aut Zelus sine scientia nihil contra hostes salutis, aut inimicos Christi profunt: ac proinde quàm necessarius est horum usus, tam necessariò simul jungi debent.

RATIO est, quia quando ad aliquem effectum

duo sunt, ita necessaria, ut unum sine alio nihil efficiat, simul illa jungi debent tam necessariò, quàm verè talis effectus prætenditur.

Sed Christo Domino clarificando, Zelus & scientia sunt ita necessaria, ut unum sine alio nihil efficiat.

Ergo simul jungi debent, aut nihil ages pro Christo.

I. PUNCTUM.

MULTA hic fructuosè considerari possunt ante ipsam propositæ Veritatis confu-